

Respondeo dicendum, quod verba docentis ita debent esse moderata ut proficiant, non noceant audienti. Quaedam autem sunt quae audita nulli nocent, sicut ea quae omnes scire tenentur; et talia non sunt occultanda, sed manifeste omnibus proponenda. Quaedam vero sunt quae proposita manifeste auditoribus nocent: quod quidem contingit dupliciter. Uno modo, si arcana fidei infidelibus fidem abhorrentibus denudentur: eis enim venient in derisum; et propter hoc dicitur Matth. 7, 6: "Nolite sanctum dare canibus:," et Dionysius, 2 cap. cael. Hierar.: "Audi sancte dicta, divinus divinorum, in doctrina factus, et mentis occulto sancta circumabscondens ab immunda multitudine ut quam uniformia custodi.," Secundo autem modo si aliqua subtilia rudibus proponantur, ex quibus perfecte non apprehensis materiam sumunt errandi. Unde 1 Corinth. 3, 1: "Non potui vobis loqui tamquam spiritualibus, sed quasi carnalibus: tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam.," Unde super illud Exod. 21, 33: Si quis aperuerit cisternam,," dicit Glossa Gregorii: "Qui in sacro eloquio jam alta intelligit, sublimes sensus coram non capientibus per silentium tegat, ne per scandalum interius aut fidelem parvulum, aut infidelem qui credere potuisset, interimat. Haec ergo ab eis quibus nocent, occultanda sunt; sed in colloquutione potest fieri distinctio, ut eadem sapientibus seorsum manifestentur, in publico taceantur.," Unde Augustinus, 4 de doctr. Christ.: "Sunt quaedam quae vi sua non intelliguntur, aut vix intelliguntur, quantalibet, et quantumlibet dicentis plenissime verentur eloquio: quae in populi audientia vel raro, si aliquid urget, vel nunquam omnino mittenda sunt. Sed in scribendo non potest talis distinctio adhiberi; quia liber conscriptus ad manus quorumlibet pervenire potest; et ideo sunt occultanda verborum obscuritatibus, ut per hoc prosint sapientibus qui ea intelligunt, et occultentur simplicibus qui ea capere non possunt.," Et in hoc nullus gravatur: quia qui intelligunt, lectione detinentur; qui vero non intelligunt non coguntur ad legendum. Unde Augustinus in eodem: In libris autem qui ita scribuntur, ut ipsi sibi quodammodo lectorem teneant cum intelliguntur; cum autem non intelliguntur, molesti non sint nolentibus legere; non est hoc officium deserendum, ut vera, quamvis ad intelligendum difficillima, ad aliorum intelligentiam perducamus.,"

Ad primum igitur dicendum, quod auctoritas illa non est ad propositum. Non enim intelligitur quod doctrina prudentium sit facilis active, idest quod faciliter doceant; sed passive, quia faciliter docentur, ut patet per Glossam.

Ad secundum dicendum, quod auctoritates illae loquuntur de illo qui abscondit ea quae manifestanda sunt: unde Eccl. 4, 28,

praemittitur: "Ne timeas verbum in tempore salutis.," Per hoc autem non removetur quin ea quae sunt occulta, debeant obscuritate verborum celari.

Ad tertium dicendum, quod doctrina Christi est publice et plane docenda, ita quod unicuique sit planum id quod expedit ei scire, non autem ut publicentur illa quae scire non expedit.

Ad quartum dicendum, quod doctores sacrae Scripturae non sunt ita sapientibus et insipientibus debitores, ut eadem proponant utrisque; sed ita quod utrisque proponant quod eis expedit.

Ad quintum dicendum, quod non ex invidia subtilia multitudini occultantur, sed magis ex debita discretione.

Ad sextum dicendum, quod Augustinus loquitur de expositoribus qui ad populum loquuntur, non de his qui scripto tradunt, ut patet ex consequentibus.

LECTIO I.

TEXTUS.

Christianae religionis reverentiam plures usurpant; sed ea fides pollet maxime ac solitarie, quae tum propter universalium praecepta regularum quibus ejusdem religionis intelligitur auctoritas, tum propterea quod ejus cultus per omnes fere mundi terminos emanavit, catholica vel universalis vocatur: cujus haec de Trinitate sententia est¹. Pater, inquit, est² Deus, Filius est Deus, Spiritus sanctus est Deus. Igitur Pater, Filius et Spiritus sanctus Deus unus, non tres dii: cujus conjunctionis ratio est indifferentia. Eos enim differentia comitatur qui vel augent vel minuunt; ut Ariani, qui gradibus meritorum Trinitatem variantes, distrahunt, atque in pluralitatem deducunt. Principium enim pluralitatis, alteritas est. Praeter alteritatem enim nec³ pluralitas quid sit, intelligi potest. Omnium⁴ namque rerum, vel quotlibet, tum genere, tum specie, tum numero diversitas constat. Quoties enim dicitur idem, toties et diversum praedicatur. Idem vero dicitur tribus modis; aut genere, ut idem homo quod equus, quia his idem genus, ut animal: vel specie, ut idem Cato quod Cicero, quia eadem species, ut homo; vel numero, ut Tullius Cicero, quia unus est numero. Quare diversum etiam vel genere vel specie vel numero dicitur. Sed numero differentiam facit accidentium varietas. Nam tres homines neque genere neque specie sed suis accidentibus distant. Nam si vel animo cuncta ab his accidentia separemus, tamen locus cunctis diversus est, quem unum fingere nullo modo possumus. Duo enim corpora unum locum non obtinent, qui est accidens: atque ideo sunt numero plures, quoniam accidentibus plures fiunt.

¹ Al. haec est de Trinitatis unitate sententia.

² Al. hic et infra omittitur est.

³ Al. haec.

⁴ Al. trium.